Rs. Zelli: 24 Aug. 46.

176

Nobilissimo viro D. Constantino Hugenio Eq. Zulichemi et Zelhemi Dno &c. C. Barlaeus S.P.D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Dne,

dum in castris inter armatos vivis, ego inter inermes Musas tero canicularium dierum otia. Historia Brasiliana sub prelo est et cum typographorum lentis operis luctatur. Vobis quaeritur belli materies, quae magna passim patet. mihi materies scribendi de Barbaris et Indis, paganis. Vobis trajicienda non sine discrimine flumina, hostilibus copiis infessa, mihi Oceanus, sed absque discrimine. Antverpia vero nollet ingloria cedi, nec se incruenta victoria vinci sinet. Stat illa intra omnium vota et spes, sed et intra fortunae et casuum aut potius Fati arbitria, quae an nobis indulgere cupient istam Helenam et Europae ocellum in ambiguo est. Fui ante biduum apud Tesselam Alcmariae. pingit et Parnassos portatiles condit sagax mulier. illic vertices, latebras et secessus fabricat, unum tibi, alterum mihi in monte fecit. Illam sic expectamus, ut Medam abeat cum Zammero cognato, comite perpetuo, quem, quoties iocari libet, non Draconem sed custodem aurei velleris vocare soleo, ne illud Jason aliquis aut Argonauta Amstelodamensis auferat. Vellem te prunis Medensibus nobiscum vesci posse, seposita omni zelotypia. Sed vicinior es istorum prunorum et glandium missili, quibus urbes et castella subruuntur et oppugnantur. Faxit Deus ne istius ictus te fructus feriat. Est enim ex illarum nucum numero, quarum unica prodest, nocet altera, tertia mors est. Filium quaeso in oculis habe et ut obsequiosus sit in Dominum suum mone et periculorum aestimator serius. optimae est indolis et favore tuo, etiam ob me, dignus. Vale Hugeni Praestantissime. Salutant N. T. Hooftius et Hooftia. Amstel. 2 Aug. 1646.

N. Tuae
observantissimus

Gaudeo nostri

Verte

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 176
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4419

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 176
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4419

In Parnassum Tesselae.

Barbara quid celebres ostendas Graecia montes,
Et latè geminis saxa superba iugis!
Phoebus ubi doctaeq. habitant fastigia Musae,
Cunctaq. Pegaseo numina fonte bibunt.
Fabula sunt Graij montes, iuga, flumina, rupes,
Et cum carminibus nomina vana suis.
En novus Arctois Parnassus surgit in oris,
Almerijqi levat nobile culmen aquis.
Tessela Parnassum mulier clarissima condit,
Iamq. potens montes Tessela nostra facit.
Et viridi musco rupes investit et herbis,
Ut possit calidis vatibus umbra dari.
Tessela pro Phoebo est, pro Musis, Pallade, quicquid
Numinis est, in se Tessela grandis habet.
Hic Tassos Italosq. sagax matrona penates
Versat et ingenio liberiore ruit.
Hic pingit vel Camoena canit, vel lenis inerrat
Vallibus, et curas effugit ipsa suas.
Hic mihi secessus indulget & otia vati,
Meq. sinit montis parte benigna frui.
Tessela sunt latebrae, latebris me abscondo ubi istis
Ut possim è latebris haec tibi verba loqui:
Tessela, quae montes et partes conficis orbi,
Quid superest! mundos, Tessela, conde novos.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 176
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4419

Nobilissimo Viro Hugenio
D. Constantino et Zelhem.
Equiti Zulichemi.
Dno &c.

In castris.